PROPOSITIONES PHILOSOPHICÆ. EX LOGICA METAPHYSICA *nec non* PHYSICA GENERALI *ET* PARTICULARI SELECTÆ.

ac

SPECIMEN Ex MATHESI

ZAMOSCII
Typis Academicis.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

120

Ejusmodi possessiones & viatica oportere parari, quæ etiam è naufragio unà possent enatare. Nam ea sunt vera firmaque præsidia vitæ, quæ neque diuturnitas temporis conficere, neque mutatio rerum publicarum evertere, neque demum crudelis belli vastatio delere potest.

Aristippus de bono Philosophiæ.

Facile Philosophis est ditari, si velint, sed hoc non est illis curæ, qui pecuniis anteponunt amorem sapientiæ.

Thales Mil. è 7 Sapient Græciæ.

Cum Matheseos perficiendi Intellectus causa potissimum in Scholas sit introducenda, parum Adolescentibus & juvenibus consulunt, qui ut desidiosis placeant, Methodi nullam rationem habent.

Wolfius in Præfat. Elem. Mathes.

P-18-0-2428
8°-8059

EX
LOGICA.

I. Intellectus humanus vi sibi congenita rerum ideas perceptioneſquè in ſe verè efficit, atque in ſtatu conjunctoniś cum corpore determinatur à phantaſmate. Hinc ideam innatam nullam, ſed omnes, quas retinet, acquiſitas habet.

II. Ideæ ſimplices cùm ita rem repræſentent, ut debent, & eo modo quo debent, falſæ eſſe nequeunt.

III. Complexæ verò cum ſæpe aliquid demant quod eſt proprium, aliquod addant, quod eſt improprium ſubjecto, hinc ſæpè falſæ eſſe poſſunt,

IV. Sunt plura, quæ mentem clarè diſtinctè conſtanterque afficiunt, ita ut velit, nolit, iisdem aſſentiri teneatur, unde rectè ſequitur claritatem ejusmodi veri criterium permanere, patet ergò vel exinde dari ſcientiam in hominibus.

V. Quemadmodum etiam inclinatio naturæ ſive communis conſenſus ad ferenda judicia de rebus minùs perſpicuis ut de exiſtentia Dei, cæterisq; naturalis Religionis principiis fallere mortales non

potest, secus culparetur sensus naturæ Author, quapropter jure veri criterium dici debet.

VI. Insuper sensus externi bene valentes & applicati in rebus sensibilibus tuta veritatis nota sunt.

VII. Imo Authoritas plena humana utpote unicum ad præterita & absentia scienda remedium nos fallere nequit

VIII, Admissis igitur veritatis criteriis Logica docens mentem ad verum rite percipiendum dirigendam pro objecto habens nomine scientiæ privari non potest.

IX. Hæc quamvis judicio ideas prædicati & subjecti eorumq; concordiæ aut discordiæ suppeditet, nihilominus judicium, ut pote ipsum annutum vel abnutum mentis, simplex esse tutatur.

Ex

Ex LONGIMETRIA & ALTIMETRIA.

Theoremata Angulorum.

Theor: I, Si linea recta rectæ insistat anguli contigui, vel deinceps positi, vel sunt, recti, velduobus rectis æquales.

Theor. II. Anguli ad verticem oppositi sunt æquales.

Theor: III. Si recta transit per duas parallelas facit octo angulos, quorum externus interno ad eandem partem est æqualis, Item æquales erunt anguli alterni. Insuper anguli interni ad eandem partem positi sunt æquales duobus rectis.

Theoremata triangulorum

Theor: IV. Si in triangulo Anguli alicujus latus producitur, angulus externus est æqualis duobus internis oppositis.

Theor. V. In omni triangulo tres anguli simul sumpti sunt æquales duobus rectis.

Theor: VI. Si in duobus triangulis duo latera sunt æqualia, & angulus iis comprehen-

henſus, tota triangula ſunt æqualia, i tem ſi duo anguli & unum latus: demum ſi tria latera æqualia tribus lateribus alterius trianguli

Theor: VII. In triangulis æquiangulis latera homologa ſeu æqualibus angulis oppoſita ſunt proportionalia.

Theor: VIII. Si in aliquo triangulo linea parallela baſi ducatur ſecat latera proportionaliter.

Theor: IX. In omni triangulo angulus major eſt, qui majori lateri opponitur, & viciſſim.

Theor: X. Quando in triangulo rectangulo ab angulo recto perpendicularis demittitur, facit illa duo triangula minora, ſibi invicem & toti ſimilia.

Theoremata Circuli.

Theor. XI. Diameter ad chordam perpendicularis ſecat eam ac arcum bifariam: ſeu in duas partes æquales.

Theor: XII. Angulus ad centrum eſt duplus anguli ad peripheriam. I. Ubi unum latus alteri coincidit. II Si angulus ad peripheriam angulum ad centrum includat, III. Quando ſe interſecant.

Pro-

Problemata Linearum.

Probl. I. Rectam à puncto ad punctum ducere.

Probl: II. Perpendicularem extruere.

Probl: III. Parallelam alteri formare.

Prohl: IV. Lineam dividere in datas partes.

Problemata Linearum inter se proportionalium.

Probl: V. Datis duabus lineis tertiam proportionalem invenire, quæ ita se habeat ad secundam, ut secunda ad primam,

Probl: VI. Datis duabus lineis, mediam proportionalem invenire,

Probl: VII. Datis duabus lineis, primam proportionalem invenire.

Probl VIII. Datis tribus, quartam proportionalem invenire.

Probl: IX. Duas medias proportionales invenire.

Problemata Angulorum, & circuli.

Probl: X. Angulum metiri.

Probl; XI. Angulum æqualem alteri facere.

Probl: XII. Datis tribus lineis triangulum describere.

Probl: XIII. Angulum bifariam secare.

Probl:

Probl. XIV. Triangulo circulum circumscribere.

Probl: XV. Datis tribus punctis non indirectum iacentibus per eadem circulum describere.

Probl: XVI. Dato arcu, aut segmento circuli, circulum perficere.

Probl: XVII. Data diametro circumferentiam invenire, & viciſſim.

Problemata Longimetriæ.

Probl: XVIII. Diſtantiam duorum locorum indagare, ad quæ à loco obſervationis acceſſus datur.

Probl: XIX. Diſtantiam duorum locorum invenire, ubi tantum ad unum acceſſus datur.

Probl: XX. Diſtantiam duorum locorum determinare ad quæ nullus datur acceſſus.

Problemata Altimetriæ,

Probl: XXI. Inquirere altitudinem ad quam acceſſus datur.

Probl: XXII. Altitudinem metiri ad quam acceſſus non datur

Probl. XXIII. Altitudinem ſupra altitudinem metiri.

Ex

Ex PLANIMETRIA

Theoremata Rectangulorum aliarumq; figurarum rectilinearum.

Theor: I. Rectangulum est æquale producto ex basi in altitudinem.

Theor. II. Parallelogrammum quodvis per lineam diagonalem in duotriangula æqualia dividitur.

Theor; III. Si per idem diagonalis punctum in quadrato ducantur lineæ ad latera parallelæ, complementa erunt duo inter se æqualia.

Theor: IV. Duo quadrilatera, quæ habent eandem, vel æquales bases & in iisdem parallelis, sunt æqualia.

Theor: V. Parallelogramma ejusdem basis sunt ut altitudines, & viciſſim ejusdem altitudinis, ut bases.

Theor: VI. In quovis triangulo quadratum hypothenusæ est æquale duobus quadratis reliquorum laterum.

Theoremata Areæ Circularis.

Theor: VII. Omne Poligonum circulo inscriptum, vel circumscriptum est æquale triangulo rectangulo, cujus unum

latus

latus est æquale perpendiculari ad basim à centro ductæ, basis verò æqualis omnibus lateribus, seu peripheriæ Poligoni.

Theor: VII. Circuli area est æqualis triangulo, cujus altitudo est radius, basis peripheria.

Theor: IX. Circuli, seu eorum areæ sunt inter se in ratione duplicata suarum diametrorum; seu se habent ad invicem, ut quadrata diametrorum.

Theor: X. Circuli area habet se ad quadratum in scriptum, sicut circumferentia dimidia ad diametrum; & ad circumscriptum, seu quadratum diametri, ut pars quarta circumferentiæ ad diametrum.

Theor. XI. Circuli area est omnium Isoperimetrarum figurarum, seu quæ eandem habent peripheriam, capaciſſima.

Theor. XII, Polygoni cujusvis regularis anguli simul sumpti æquivalent bis tot rectis minùs quatuor, quot sunt latera perimetri.

Problemata figurarum efformandarum.

Probl.

Probl. I. Quadratū, Rectangulū, Rhomtum, Rhomboidem, Trapexium efformare.
Probl: II. Hexagonom regulare describere.
Probl: III. Polygonum quodvis delineare.
Probl. IV. Magnitudinem anguli Polygoni cujusquè invenire.
Orobl. V. Invenire summam angulorum in Polygono.
Probl: VI. Invenire angulum centri in Polygono,

Dimensiones superficierum seu arearum.

Probl: VII. Quadratum. Oblongum, Rhomboidem metiri.
Probl: VIII. Areas triangulares rectangulas obtusas, aut acutas metiri:
Probl: IX. Aream Trapezii, & cujusquè figuræ irregularis metiri.
Probl, X. Circuli aream metiri.
Probl: XI. Sectorem & Segmentum Circuli metiri,

Divisiones Arearum.

Probl: XII. Areā triangularē dividere in partes quotvis æquales, aut inæquales.
Probl: XIII. Aream triangularem dividere in

in partes æquales, sed non ex eodem angulo.

Probl: XIV. Aream triangularem dividere in partes petitas æquales per lineas parallelas.

Probl: XV. Rectangulam in duas partes æquales dividere.

Probl, XVI. Parallelogrammum in plures partes æquales, aut in æquales dividere,

Probl: XVII. Aream irregularem in partes æquales dividere.

De transmutatione, ac augmento arearum.

Probl: XVIII. Triangulum in Rectangulum convertere

Probl: XIX. Rectangulum, Rhombum, Rhomboidem, Polygonum, in Quadratum mutare.

Probl: XX. Quadratum in Triangulum transmutare.

Probl: XXI. Datis duobus Rectangulis, Quadratis, Triangulis &c. æquale unũ constituere.

Probl: XXII. Circulum quadrare.

Probl: XXIII, Ellipsim in Circulum commutare,

Probl.

Probl. XXIV. Datis pluribus Circulis unum omnibus æqualem describere.

Probl: XXV. Circulum datum duplicare, triplicare, &c.

Problemata Planimetriæ Practicæ.

Probl: XXVI. Metiri aream, quam totam pertransire licet,

Probl: XXVII. Aream metiri. quam pertransire non licet.

Probl: XXVIII. Aream delineare, per quam ne oculis quidem prospectus datur,

Probl: XXIX. Meatus subterraneos metiri, uti in fodinis metallicis. salinis &c.

Probl. XXX. Aream in charta descriptam per Logisticam decimalem mensurare.

Probl: XXXI. Acum Magneticam in observatione dirigere.

EX METAPHYSICA

ONTOLOGIA.

I. Principium Contradictionis: Impossibile est idem esse & simul non esse, est absolutè primum, & nullum aliud illo prius datur.

II.

II. Cum autem omne, cur sit, habeat necesse rationem sufficientem, adeoq; *ratio sufficiens* principiis annumeranda venit.

III. Quoniam impossibile ad possibile reducere, imperfectio sit, Deo non competit, hinc præter possibilitatem omnium rerum activam & extrinsecam datur alia passiva & intrinseca enti.

IV. Quæ ad statum Physicum reducta, cum nihil præter statum mutet, æterna & immutabilis est, & meritò, idem enim est homo in re, qui erat possibilis.

V. Cum omnem compositorum nexum tolli non repugnet, hinc corpora primò substantiis simplicibus constant.

VI. Admittatur per impossibile infinita contingentium series, hujus tamen singulorum entium alterum alterius rationem sufficientem existentiæ in sua essentia tenere nequit, cum nec sui ipsius eandem in sua essentia tenere potest.

VII. Igitur admissis etiam præfatæ seriei contingentibus Necessarium omnino admittendum sequitur.

VIII. Causæ creatæ limitatam vim agendi habent, adeoq; ibi tantum agunt ubi sua entitate aut virtute sunt præsentes.

IX.

IX. Ex his aliæ sunt liberæ, agentes pro libitu, aliæ necessariæ, quæ tantùm semper agunt, quantùm possunt.

X. Hæ proinde si in æqualibus temporibus sint inæqualiter ad agendum expeditæ, dant effectum in ratione composita temporum & ipsarum causarum.

COSMOLOGIA.

I. Mundus hic sic à Deo conditus est, ut initium existendi habuerit.

II. Is bene manifestat perfectiones Divinas, ut Potentiam, Sapientiam &c, igitur perfectus est.

III. Perfectior tamen illo possibilis est, cum Perfectiones Divinæ ut pote infinitæ infinitîs modîs perfectioribûs manifestari possunt.

IV. Mundi materia, ut pote modificationum capax cum sit contingens, ex nihilo positivo ad actum Physicum reducta est.

V. Quod apertè mundum in tempore extitisse probat.

VI. Cujus Magnitudo licet infinita non est, nihilominus tamen in immensum extensa ex planetarum magnitudine:

Sy-

Syderumq; distantiis clarè deducitur.

VII. Compenetratio cum sit vis absoluta corporum ex congerie non consurgens elementorum, hæc illæsa lege naturæ compenetrari nequeunt.

VIII. Hinc contactus Mathematicus in elementis primis corpora constituentibus ut pote simplicibus admitti non potest. Nam si se tangerent Mathematicè, tangerent se totis ita ut nihil esset in A, quod non esset in B. & è converso, si verò post Mathematicum contactum se se totis non tangerent singula dividuum tenerent locum, perconsequens ipsamet contra hypothesim dividua esse deberent.

IX. Ex quo manifestè sequitur, sicut vires attractivas elementorum cohæsioni inservientes, ita vires repulsivas eorundem mathematicum attactum impedientes in corporibus dari.

X. Disseminatum in Universo vacuum reperiri æquè evidens corollarium est.

XI. Nihilominus tamen, cum legis naturæ exercitium seu actum secundum Deus impedire potest, ùt impedivit ignis in fornace Babylonis, Solis ad Christi mor-

mortem per Dei potentiam ficut compenetratio, ita etiam replicatio corporum non repugnat.

XII. Non adverſatur etiam potentiæ Divinæ (non tamen de lege ordinaria) admitti ſaltum in natura, ut aliquod ens à motus quantitate = 5 omiſsis intermediis magnitudinibus tranſeat ad = 15, ſicut non repugnat, ut unum loci punctum conjungatur pluribus temporis momentis etiam naturaliter.

XIII. Ipſa experientia docet corpora habere determinationem ad quietem ſaltem ad ſenſum.

XIV. Et ad motum in directum uniformiter, niſi ab aliqua cauſa externa impediantur, quod vel exinde patet, dum quo magis auferuntur impedimenta, eò diutiùs motum ſuum continuant.

XV. Cum æqualis ſemper & contraria ſit actioni reactio, hinc duo corpora non elaſtica, ſi ſibi æquali vi occurrant directione oppoſita, utrumq; quieſcere tenetur.

XVI. Secùs dicendum de perfectè elaſticis quorum ceſſante compreſſione, illico reparatur motus ob explicationem par-

tiam ad priſtinum locum, ſed directionibus oppoſitis.

PSYCHOLOGIA.

I. Cum ſubſtantia ſit ſubjectum perdurabile & modificabile, animæ verò humanæ iſti characteres ut pote durationis volitionum nolitionum capaci in aperto competant, proinde hæc ſubſtantia eſt,

II. Sed incorporea, cui vim cogitandi ipſa experientia negat, & purè ſpiritualis.

III. Cum omne ens tali modo operatur, quo eſt, hinc facultatibus Spiritualibus intellectu, memoria, & voluntate gaudet, non tamen realiter inter ſe, ſed per rationem diſtinctis.

IV. Hæc eligit ſibi pro libitu ex duobus propoſitis æqualibus vel inæqualibus bonis unum præ alio (ut ipſa conſcientia teſtatur) quapropter in agendo libera eſt, ſeu gaudet libertate indifferentiæ.

V. Ex illius characteribus ac potentiis uti electionis liberæ, appetitûs ſelicitatis veræ, tum quod fluxis bonis ſatiari nequeat &c. evidenter conſtat eam naturâ eſſe immortalem.

VI.

VI. Cujus cum corpore commertium tam in Syſtemate cauſarum occaſionalium Cartheſii, quam in Syſtemate harmoniæ præſtabilitæ Leibnitzii non poteſt rectè explicari, bene tamen juxta ſenſum Influxus Phyſici adhibitis correſpondentiæ legibus, juxta quas poſita motione animi, ſeu affectione, illico ſequi debeat motus in corpore, & è converſo ſtante unione.

VII. Jam ſedes illius ea pars cerebri eſt, ad quam omnes nervi ſenſorii concurrant.

VIII. Ita etiam de ſede animæ brutorum ſentimus, ubicunquè pars illa in iisdem ſit.

IX. Non enim eam licet dicere corpoream, cum vim cogitandi, memoriâ retinendi &c. habeat.

X. Neque tamen ex hoc licet eam inferri intellectu pollentem, quia generalia & abſtracta cogitare, ac de rebus cum judicio comparativo ſentire non valeat, neque etiam immortalem, nam ad immortalitatē naturalem requiritur, ut ens nec à cauſis creatis poſſit vitâ exui, nec etiam à Deo ut Authore naturæ, quamvis autem primum ex incorporei-

tate animæ brutorum infertur, non tamen alterum,

THEOLOGIA NATURALIS.

I. Nomine DEI intelligitur Ens à se existens, immensum, omnipotens, omniscium, quo nihil melius possit cogitari, hujus Entis supremi existentia demonstrari potest à posteriori argumentis tam moralibus, politicis, quam etiam Physicis.

II. Ejusmodi Ens cum omnes possibiles perfectiones habere debeat, hinc est æternum, non potest enim illud ens habere causam sufficientem suæ destructionis, quod suæ existentiæ rationem sufficientem in sua essentia habet

III. Ens necessarium nequit esse multip'ex, aliàs enim non esset omnimodè liberrimum, nec omnimodè beatissimum ac per consequens non esset, necessarium.

IV. Illud debet habere vim omnia optimè administrandi, seu debet providere omnibus ad finem obtinendum necessaria media, ita ut nihil in universo ab ejus providentia alienum sit.

V.

V. Concurrit ad omnes causarum secundarum effectus immediatè, ita ut Entis necessarii (quod Deum dicimus) cum creaturis concursus in actu secundo spectatus sit ipsa actio indivisim procedens tam à Deo quam à Creatura, per quam creatura producit effectum.

VI. Ex hac erga genus humanum providentia se ipsum pro fine ultimo homini præstituit, nec aliud quidpiam ex ordine æterno & immutabili præstituere poterat

VII. Quapropter extat Religio naturalis.

VIII. Imo extare debet aliqua Religio revelata à Deo.

IX. Verùm hæc quænam sit investigas!? dico: Si Religio Christiana non est vera, nulla Religio revelata est vera.

X. Si autem Religio Catholica non est vera, nulla Religio Christiana est vera.

PRO-

PROPOSITIONES
Ex Physica Generali.
De Principiis, & communibus corporum proprietatibus.

I. Admittendæ sunt in Elementis, seu Materiæ punctis determinationes quædam ad mutuum recessum, quæ à mutuis eorundem distantiis pendeant, viresq; repulsivæ nominari possint. Prout admittendæ sunt in elementis, vires attractivæ, seu determinationes quædam ad accessum mutuum à distantiis pendentes. Insuper quodlibet elementum præditum est vi inertiæ in sensu Nevtoni explicari solitæ.

II. Corpora omnia copiosissimis poris referta esse, amplissima evincit inductio.

III. Cohærentia corporum oritur ex collocatione materiæ punctorum in iis limitibus, qui limites cohæsionis nuncupari solent, vel etiam ex collocatione punctorum extra eosdem limites, si vires oppositæ actiones suas mutuò impediant.

IV. Si cujuspiam corporis particulæ sint

sp hæ-

sphæricæ, in æqualibus à centro distantiis homogeneæ, sintq; omnem in partem æquabiliter distributæ, id corpus fluidum sit oportet.

V. Corpus est elasticum, si particulas suas in ejusmodi limitibus cohæsionis habuerit collocatas, circa quos bini arcus sat ampli sint, axem sub angulo non admodum magno secantes.

VI. Solutio, præcipitatio, fermentatio, commixtio, liquatio, crystallizatio & vegetatio chemica sunt veræ corporum proprietates.

De Motu Corporum.

VII. In vecte directo celeritates massarum sunt ut earundem distantiæ ab hypomochlio, in eoq; potentia & pondus sunt in æquilibrio, si sint in ratione reciproca distantiarum ab hypomochlio,

VIII. Trochlea simplex si ad centrum fixa sit, non auget momentum potentiæ, & si sit mobilis eiq; pondus sustentandum in centro appendatur, potentia erit ad pondus, ut 1. ad 2.

IX. In axe in peritrochio est potentia ad pondus ut radius cylindri, cui funis cir-

circumvolvitur ad scytalam cui potentia applicatur ab ejusdem cylindri axe computatam,

X. In rotis dentatis est potentia ad pondus,, ut est factum ex radiis omnium tympanorum & cylindri, cui funis circumvolvitur ad factum ex radiis omnium rotarum & manubrii, quo machina circumagitur.

XI In plano inclinato æquilibrium habetur tunc, cum fuerit potentia ad pondus, ut altitudo plani ad ejusdem longitudinem.

XII. In Cochlea potentia cylindro immediatè applicata est ad pondus; ut distantia duarum helicum proximarum ad peripheriam cylindri.

XIII. Potentia cum ope cunei æquat ponderis resistentiam, est ad hanc ut latitudo basis cunei ad ejusdem altitudinem.

De Vi inertiæ.

XIV. Gravitas Corporum reponitur in universali lege attractionis proximè agentis in ratione reciproca duplicata distantiarum. Illam tamen non universè con-

ncludimus esse in ratione directa massæ. Eandem enim massam terrestrem sub eodem volumine diversæ gravitatis sub esse diversis ab æquatore latitudinibus, nimirum crescere versus polos, decrescere autem ad æquatorem merito cum hodiernis Physicis propugnamus.

XV. Vis inertiæ tam individuis elementis seorsim consideratis, quam consociatis etiam seu corporibus spectato horum gravitatis centro omnino convenit.

De Corporibus Cælestibus.

XVI. Systema Copernicanum argumentis, à Physica petitis consentit.

XVII. Ex Paralaxi Solis inferimus eum longe, inferiorem esse stellis fixis utpote paralaxi carentibus.

XVIII. Stellæ fixæ proprio lumine gaudent

XIX. Luna tunc patitur ecclipsim cum in umbram terræ incurrit.

XX. Eclipsis solaris tunc evenit, cum luna ita interponitur inter tetram & solem, ut impediat, ne à sole ad terram vel totam vel saltem ad aliquam ejus partem

radii

radii linea recta propagari queant.

XXI. Cometæ sunt Corpora Mundo coæva, è genere Planetarum, horumq; caudæ sunt vapores, ex ipso Cometæ nucleo in aversam à sole partem assurgentes.

Ex Physica particulari

De statica fluidorum.

XXII. Gravitas specifica corporis est generatim in ratione composita ex directa ponderis & inversa voluminis.

XXIII. Fluida omnem in partem premunt æquabiliter. Vis tamen gravitatis in fundum exoneratur, quæ æquatur facto ex fundo in altitudinem.

XXIV. Omnia fluida se se ad libellam componunt. Ascensus autem fluidorum supra libellam in tubis, capillaribus attractionis effectus est.

De Lumine & Colore.

XXV. Luminis propagatio in diffusione particularum ex corpore lucido erumpentium consistit,

XXVI. Diversa radiorum luminis diverse coloratorum stamina colorem objectis inducunt.

De

De iis quæ ad ignem pertinent.

XXVII. Ignis nequit reponi in ipso motu perturbato exiliſſimarum particularum corpus ardens conſtituentium, ſed admittenda eſt diſtincta ſubtiliſſima materia, quæ omnia corpora facillimè pervadat, turbulentiſſimèq; eos motus, quos in igne vulgari notamus, efficiat.

XXVIII. Ignis purus ab ipſa lucis materia diſcerni non debet.

XXIX. Ignis non modo vulgaris, verum etiam purus eſt abſolutè gravis.

De iis quæ ad àérem & aquam pertinent.

XXX. àér eſt corpus ab humoribus terrenis omnino diverſum.

XXXI. Gravitas àéris, quam nonnulli negabant, recentiori Phyſicæ extra dubium poſita eſt.

XXXII. àérem ingenti vi elaſtica præditum eſſe Phyſica phænomena probant.

XXXIII. Aeris oſcillationibus ſoni propagatio & reflexio, tonorum diverſitas, vocis humanæ conformatio, debetur.

XXXIV.

XXXIV. Aquæ natura in particularum ſubtiliſſimarum ac ut plurimum ſphæricarum validiſſimis arcubus repulſivarum hærentium conſiſtit.

XXXV. Nebula, pluviæ, ros, pruina, grando, nix oritur ex bullulis vaporis aquei, aut calore ſolis dilatatis diſtractisq; aut frigoris actione concretis.

XXXVI. Sapor & odor potiſſimum à ſalibus & ſulphure dependent.

XXXVII. Fontes temporanei ſaltem pleriq; debentur pluviis & nivibus reſolutis, perennium autem origo repetenda ab aquis marinis.

De iis quæ ad terram pertinent.

XXXVIII. Montes præcipui ſub ipſum mundi exordiū ſunt formati, multos tamen inſoliti terræ motus, arenoſæ ventorum procellæ, temporū injuriæ, ingentesq; ſubterranei motus tū exiſtentes everterunt, tū nunquā viſos congeſſerunt.

XXXIX, Plantæ generantur ex ſpecifico ſemine-

Ad M. D. G. B. V. M.
Honorem.

Quarum defendendarum ac demonſtrandarum in Collegio Univerſitatis Zamoſcenſis inter provinciam.

V. D. Simon *SOCZYNSKI* Phiæ *Auditor.*

M. D. Joſephus OSTASZEWSKI Theſaurarii Ovrucenſis Filius Mathes. Audit.

M. D. Amandus BADOWSKI Notarii Caſtren: Lnblinen. Filius Mathes. Audit.

M. D. Joannes SPŁAWSKI Dapiferi Livoniæ Filius Philoſoph: Auditor.

G. D. Michaël GALASIEWICZ Mathes. Auditor.

G D. Paulus KARAPUCKI Mathes: Audit.

G. D. Andreas ANYSZKIEWICZ Mathes: Auditor.

Sub Præſentia

SUORUM PROFESSORUM

Pridie Calendas Julii Annô Dni 1783.

Annuente Consensu

MAGNIFICI

DOMINI

RECTORIS.

KSIĘGOZBIÓR
MARCINA ZAMOYSKIEGO
5057 -KZ

5056 KZ